



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

V. Caritas læditur novitate. Quare abstinendum hoc casu à dispensatione, quæ precipuè ob concordiam inducta est. Ex dispensationibus intempestivis dissidia oriuntur, è Maximo Abbate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

quædam capita, quæ moribus recepta sunt, aliquo pacto violentur; ne bene constitutis rebus novitates illæ perturbationem afferant. Exempli causa, si patronorum laicorum jura evellantur, vel si conditionibus foundationum derogetur. Ex hac regula profectum est ut majores nostri eas dispensationes non admiserint quæ Religiosis mendicantibus à Curia Romana indulgebantur ad possidenda beneficia. Cùm enim paupertatis extremæ voto se obstrinxissent, alienum visum fuit ab eorum proposito redituum legendorum desiderium. Quare regulæ mendicantium conservandæ intenti Reges nostri, & Clericorum secularium commodis prospicientes, prohibuerunt Edicto, ne quæ ejusmodi dispensationum, tanquam ipso jure nullarum, ratio haberetur. Extat Caroli VII. constitutio anno MCCCCLIII. lata, quæ præcipitur iudicibus ne hanc novam perniciem, seu potius superstitionem, in Clero, populo, & regno fieri vel attentari permittant, & mendicantes à beneficiorum possessione sine mora expellant; exactis ab Episcopis & à ceteris quibuscunque gravissimis pœnis, si contra hanc interdictionem nitantur. Hinc fit ut necessaria sit hodie Religiosis mendicantibus venia hujus legis à Rege concedenda, si ex dispensatione Summi Pontificis beneficia possidere illis indulgeatur.

Rebuffus tracl. de Pacific. §. 218. Et hoc nisi mendicante permittant vel dispensatione Regu.

Ivo in Præfat. Decret.

C. Ipsa pietas. xi. q. 4. Hildebertus Cenoman. ep. 85. Bern. de dispens. c. 4.

Maxim ut Abbas relatus in Breviario v. 1. 1. Synodi. me. §. 4. v. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

V. Summa verò regula quæ in dispensationibus adhiberi debet, hæc est, ut caritas non lædatur; quemadmodum docet Ivo Carnotensis: *Si quis quod legerit de sanctionibus sive de dispensationibus ecclesiasticis, ad caritatem, quæ est plenitudo legis, referat, non errabit, non peccabit; & quando aliqua probabili variatione à summo rigore declinabit, caritas excusabit. Si tamen nihil contra Evangelium, nihil contra Apostolos usurpaverit.* Hanc regulam hausit ex Augustino, epistola ad Bonifacium, cujus verba retulit Gratianus, Augustinum etiam secuti sunt Hildebertus & Bernardus. Caritatem autem lædi quis non videt, quando invito Principe & Ecclesia Gallicana, absque necessitate vel utilitate publica Ecclesiæ, legibus vel moribus receptis derogatur? Concordiæ & pacis ecclesiasticæ causâ introducta est tota dispensationum ratio, ut monui. Quare in contrariam partem torqueri non debet, ut offensiones in Ecclesiam inducat. Porro autem, ut inquit Maximus Abbas adversus intempestivas dispensationes disserens, bellum sapit & dissidium, non concordiam & pacem dispensatoriam, cùm sanctorum patrum decretis repugnatur.

VI. Enimverò quotidianæ cùm sint hujusmodi disceptationes, ob rescripta sedis

apostolicæ, quæ ad levandas petentium necessitates benignè concedi solent, paulò accuratius in hanc materiam incumbendum est. Non eo tamen proposito hæc indaganda sunt, ut metas ponamus pontificiæ auctoritati, ultra quas illi excurrere non liceat; quia sacrilegij instar est de Principum potestate disputare, ut ait Imperator Anastasius. Quod præcipuè locum habet quando de Summo Pontifice agitur, in cujus privilegij enumerandis Gallicani Episcopi olim sibi hæere aquam non dissimulabant. In eam sententiam eleganter & acutè Fulbertus Carnotensis Episcopus in epistola ad Arnulfum Turonensem Archipræsulem: *Construitur enim quedam reverenda nobis in privilegiis Romanæ Ecclesiæ, quæ propter negligentiam nostram non facile invenitur in armariis nostris.* Modestis verbis sensum suum explicuit; consilium Auxiliaris Præsæcti secutus, qui Hilarius Arelatensem Episcopum à dignitate metropolitana dejectum judicio Leonis I. hortatur ut ad demulcendum placandumque Pontificem se paululum demittat; quia *aves Romanorum quadam teneritudine plus trahuntur*, ut retulit antiquus scriptor vitæ Hilarij.

VII. Nos quoque debita honoris præfatione usi, hanc materiam attingemus, ut sciamus quid, in effusa illa juris dicendi & condendi auctoritate, subditis qui læduntur Pontifices ipsi permittant. Ac sanè quæ de dispensationibus huc usque disputata sunt, viam aperiunt iis quæ dicenda restant. Solenne est in rescriptis Pontificum, non solum dispensationum, sed etiam derogationum verba usurpari; quorum similis est effectus. Ideo quæ de una specie dicuntur, ad aliam trahi posse non est dubium. Id autem unum maximè cavere solent Summi Pontifices, ne rescriptis suis scandali occasione præbeant. *Scandali* voce utor, quia frequentissima est in hujusmodi disceptationibus. Petita verò est ex Evangelio, & è Septuaginta interpretatione. Sumitur autem propriè pro offendiculo pedum; in quod si quis ambulando impingat, facile labatur. Inde translata est significatio ad actiones hominum quæ spiritualis ruinæ occasionem præbere possunt; quæ si ex se malæ sint, propriè scandali nomine designabuntur. quod datum vel adivum vocant. Sin autem meram virtutem spirent, & necessariae sint ad hominum salutem, atque inde aliqui offendantur; hoc erit scandalum Iudæorum & Pharisæorum, qui doctrina & operibus Christi Domini lædebantur. quod scandalum acceptum & passivum dicitur. Inter ista duo extrema est aliud scandali genus, quo delica-

... ..

Fulbertus p. 10.

...

...

...